citate terræ, acta recta linea per uisum nostrum, orbem magnū sic secet, ut dimidia sectionis quæ in orbe, ad eam quæ à stella ad uisum nostrum in propinquiori & conuexa orbis superficie constitutū rationē habeat, quam motus stellę ad terræ uelocitatem, eo tunc loci uisui nostro stantis imaginem stella præseferet. Quòd si sectionis dimidia, quæ in circulo, sicut dictū est, maiorem habuerit rationem ad reliquum exterius segmentū, quàm uelocitas terræ, ad uelocitatem Veneris uel Mercurij, siue motus aliquorum trium superiorum ad uelocitatem terræ, progredietur sidus in consequētia. Sin minor ratio fuerit, retrocedet in præcedentia. Quibus demonstrandis Apolonius lemation quoddam assumit, sed ad immobilitatis terrę hypothesim, quod nihilo secius etiam nostris congruit principijs in mobilitate telluris, quo propterea nos etiam utemur. Et possumus ipsum pronunciare in hanc formam. Si trianguli maius latus ita secetur, ut unum segmentorum non sit minus lateri sibi coniuncto, erit ipsius segmenti ad reliquum segmentum maior ratio, quàm angulorum ad ipsum latus sectum constitutorum ordine reciproco. Sit inquā trianguli A B C, maius latus B C, in quo si capiatur C D, non minus quàm A C, aio quòd C D ad B D maiorem rationem habebit, quàm sub A B C angulus, ad eum qui sub B C A angulum. Demonstratur autem hoc modo. Compleatur enim parallelogrammum A D C B, & extensæ B A & C E coincidant in F signo. Quoniam igitur A E non est minor ipsi A C, centro igitur A distātiaq; A E descriptus circulus, per C transibit uel supra ipsum, transeat modo per C, qui sit G E C. Cumq; maius sit A E F triangulum ipsi A E G sectori: minus autem A E C triangulum sectori A E C, maiorem habet rationem A E F triangulum ad A E G, quàm A E G sector ad A E C sectorem. Sed ut A E F triangulum ad A E C, sic F E basis ad E C, maiorem ergo rationem habet F E ad E C, quàm sub F A E angulus, ad E A C angulum. Sed ut F E ad E C, ita C D ad D B, æqualis enim est F A E angulus ipsi A B C, q uero sub E A C ipsi B C A. Igitur



& C D